

& ubique accepta ab Ecclesiæ exordio usque ad Sæculum XIV. semper sententia fuit, Proborum Animas a Corpore sejunctas, nisi quid purgandum habeant, statim in cœlestia Regna transferri. Eodem tandem Sæculo XIV. Johannes XXII. Romanus Pontifex aditum aperuit ad eamdem controversiam altius examinandam. Scilicet disputandi causa ille pendere videbatur in eorum sententiam, qui defunctorum Animabus visionem Dei negabant ante gloriosum Christi adventum ad judicandum genus humanum. Verum re mature excussa Anno MCCCXXXIV. suam mentem Johannes palam purgavit, tamdem professus, quod *Animæ purgatae, separatae a corporibus, sunt in Cœlo, Cœlorum Regno, & Paradiſo, & cum Christo in consortio Angelorum congregatae, & vident Deum, ac divinam essentiam clare, in quantum status & conditio compatitur Animæ separatae.* Ejsmodi professionem subinde omnibus notam fecit Anno MCCCXXXV. Benedictus XII. ejus Successor, Bulla promulgata, quæ incipit *Benedictus Deus. Acritus deinde Anno MCCCXXXVIII. & MCCCXXXIX.* agitata quæſtio hæc fuit in Concilio Generali Florentino inter Latinos & Græcos, ac demum concordi calculo utrinque genitis stabiliter: *Illerum Animas, qui post Baptisma suscepimus nullam omnino peccati maculam incurserunt; illis etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, sunt purgatae: in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum unum & trinum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate aliud alio perfectius.* Doctrinam eamdem a Synodo Tridentina confirmatam habemus Sessione XXV. ita ut nulla amplius inter Catholicos disputatio sive dubitatio de illa super sit. Quod præmonendum censui, ne quisquam miretur, si quando Patres aut Theologos ante Sæculum XIV. in hoc arguimento offendat, ab aliis, immo a se in suis ipsis Libris discordes. Liberum quippe fuit ante judicium Ecclesiæ, opinioni adhædere, quæ potior videbatur. Eoque magis cendum est, ne (quod nonnullis subrepit) quemquam ante ea tempora heretici dogmatis damnamus, quod is alter de Mortuorum statu senserit, quam postea Ecclesia decrevit. Quotiescumque enim ab Ecclesia scienti Theologorum opiniones tolerantur, & palam prodire sine censura sinuntur: quamquam postea decreto contrario tollantur, eas quidem aversari in posterum jubemur, sed simul earum Auctores, ac præcipue si de Sanctis Patribris agitur, nulla gravi nota aspergendo novimus. Florentini autem Concilii doctrinam de Sanctorum Beatitate Britanni, tunc in unitate Fidei nobiscum juncti, suscepere. An autem omnes illibatam servarint, servatamve cupiant, non satis compertum est mihi. Ego certe, ne a veteri, solideque firmata sententia se dimoveri illi patientur, si quid hæc mea possant, quanta potero brevitate curabo.

Statuendum autem ante omnia est, postremam diem Mundi hujus aliquando venturam: tunc excitandos omnes mortuos, qui in sua Carne ad tribunal Christi sistentur, pro suis meritis sententiam aut